

petit, quia illa tantum dirigitur contra primum donatarium obligatum, & non sequitur particularem successorem: argumento text. in leg. fin. §. fin. ff. de Contrahend. empt. Sed hoc aperte hodie videtur corrigi per dictam legem Partitæ.

Ex quo subtiliter deducitur & infertur, quod si donator fecit pactum favore plurium, quia donavit rem hoc pacto, ut post mortem vel tempus primus tradat secundo, & secundus tertio, & sic de aliis omnibus; quæritur actio successivè contra gravatum. Item infero, quod si fortè primus donatarius gravatus alienavit rem, & secundus consequatur ab eo interesse; tertius habebit actionem contra secundum pro illo interesse consequendo: quia licet in particularibus pretium non succedat loco rei, tamen quando consequutum est causa lucrativa, bene subrogatur & peti potest; argumento text. cum materia in leg. Si eum servum. ff. Si cert. petat. & in leg. Si & me & Titium. eod. tit. juncta communi opinione.

30 Sed circa prædicta, pro maxima declaratione prædictorum quæro de subtili & necessaria quæstione: scilicet, si iste donator qui donavit alicui fundum vel rem hoc pacto vel modo, ut post mortem vel certum tempus restituat alteri tertio: an possit talis donator illud pactum, modum, vel gravamen remittere & revocare, ut illi tertio non restituatur? Et videtur quod sic. Primò, argumento text. notabilis in leg. 3. ff. de Servis exportand. ubi, si dominus vendidit vel donavit servum suum hac lege & pacto, ut intra certum tempus manumittatur; transacto illo tempore, efficitur liber, ita demum si dominus perseveravit in eadem voluntate: undè, si ante tempus completum illud pactum vel modum revocavit, non erit liber; & sic in præjudicium servi potuit dominus pactum vel modum tollere: ad idem est text. in leg. 1. & 2. & fin. Cod. Si mancip. ita fuerit alienat. ut manumittat. text. in leg. 3. ff. Qui sine manumission. ad libertatem perveniunt. text. in leg. Si pecuniam. §. Si servum. ff. de Condict. ob caus. Ergo ita in nostro casu donator possit revocare illud pactum vel modum positum in favore tertii. Secundò: quia in nostro casu & quæstione illi tertio est quæsitæ actio virtute contractus innominati resultans, habita relatione ad id quod devenit in modo: ergo meritò habebit locum pœnitentiæ, ut in leg. Si pecuniam. in princip. cum materia, ff. de Condict. ob caus. Undè, sicut in

contractu innominato tota dispositio per pœnitentiam revocari potest, ita qualibet ejus pars. Tertio, & in terminis istam sententiam & conclusionem tenet Bart. in leg. Qui Romæ. §. Flavius. 1. col. num. 1. ff. de Verbor. obligat. qui extendit hoc, ut habeat locum etiamsi illud pactum sit positum in favorem Ecclesiæ, vel piæ causæ: & ibi Joan. de Imol. 2. col. in med. Aret. 3. col. qui latè disputat; & tandem se firmat in fin. col. dicens, quod tutius est tenere opinionem Bart. Alexand. 3. column. num. 8. Socin. 4. col. Jas. 7. col. n. 8. Raph. Cuman. & Petr. de Besub. Idem etiam tenet Bart. in dict. leg. 2. ff. de Servis exportand. cum quo transeunt ibi DD. tenet etiam Joan. Imol. in cap. Potuit. de Locat. penult. col. in med. & in fin. Bald. in leg. Cum à socero. Cod. de Jure dot. 2. col. Istam etiam conclusionem tenet Aret. in consil. 74. 4. col. num. 9. qui notabiliter loquitur: & illam dicit magis communem opinionem Socin. & Jas. in leg. Qui Romæ. §. Flavius.

Sed his non obstantibus, teneo contrariam sententiam: imò, quod prædictus donator non possit revocare illud pactum vel modum positum in favorem tertii, modò interveniat consensus solius donantis, modò utriusque, scilicet ipsius donantis, & ipsius primi donarii. Et istam sententiam contra Bartol. & communem opinionem tenet Paul. de Castr. in dict. leg. Qui Romæ. §. Flavius. 1. column. in fin. numer. 2. idem Paul. in leg. Insulam. §. fin. in fin. ff. Solutio matrim. idem Paul. in leg. Si pecuniam. ff. de Condict. ob caus. 3. column. 4. quæst. idem Paul. in leg. Si cum venderet. ff. de Pignor. actio. 2. column. numer. 5. licet littera ejus sit corrupta: & ante eum istam partem tenet Francisc. de Albergo Florentinus, qui fuit discipulus Bart. in dict. leg. 3. ff. de Servis exportand. istam etiam partem tenet Salycet. in dict. leg. Quoties. Cod. de Donat. quæ sub mod. in fin. idem Salycet. in leg. 1. Cod. Si emancip. ita fuer. alien. ut manumitt. 1. column. numer. 5. & dicit Paul. ubi supra, quod istam partem tenet Spec. in titul. de Instrum. edit. §. Nunc verò aliqua, versic. Cum quis legat. in addition. quæ incipit Titio decem. Sed certè ibi non loquitur, an donatio possit revocari vel non respectu Tertii, qui erat Sejus, sed tantum dicit, quod donatio non potest revocari à primo donatario, qui erat Titius, cui res erat tradita: & sic non tangit quæstionem nostram, nec ad eam potest allegari. (p) Istam etiam partem tenet Roderic. Suar. in repetition. leg. Quo-

(p) Quam etiam defendit Covarrub. lib. 1. Variar. cap. 14. num. 9. cum aliis quos ipse allegat; Velazquez de Avendañ. hic gloss. num. 7. Perez lib. 3. Ordinament. col. 1056. communio-

rem-

Quoniam in prioribus, Cod. de Inoffic. Testam. fol. 97. 8. quæst. pr. qui dicit, quod ferè omnis Scola scribentium tenet contra Bartol. idem Roder. Suar. allegat. 19. 3. col. fol. 176. Sed certè in hoc deceptus est: quia imò magis communis est cum Bartol. ut ex superioribus patet: istam etiam conclusionem tenet Paul. in consil. 164. antepenultim. column. versic. Sed contra, hoc. facit, 2. vol. cons.

Pro qua sententia contra Bart. & communem, primò facit text. capitalis bene ponderatus in dict. leg. Quoties, Cod. de Donat. quæ sub modo, ubi expressè dicitur, quod ex tali pacto vel modo restitutionis statim est quæsitæ utilis actio illi tertio: ergo eo invito, per donantem revocari non possit: quia quando ex contractu alterius mihi quæritur jus, actio vel obligatio, non potest me invito mihi auferri: argumento text. in leg. Sicut ab invito, Cod. de Actio. & obligat. text. in leg. de Contractu. Cod. de Rescind. vendit. text. in leg. Non id circo. Cod. de Contract. emp. text. in leg. Quamvis, Cod. de Transact. text. in leg. Commodato, §. Sicut, ff. Commodati. text. in leg. Si mandavero. la 2. §. Sicut. mandat. text. in leg. de Statu liber. §. Stichum, delegat. 2. text. in leg. Si socii. vers. 1. ff. Pro socio. text. in regul. id quod nostrum. ff. de Regul. jur. Nec obstat text. in leg. 2. §. Sed. & si quis donatus. ff. de Donationib. & in leg. Si pater, versic. Sin autem. de Manumiss. vin. cum similib. & notata in leg. 1. §. fin. ff. de Contrahen. emptio. in leg. Consensu, Cod. de Dicit. & obligat. & actionib. & in leg. Absent. de Donat. quia ibi actus, actio, vel obligatio non erat quæsitæ illi absentis, ut ibi notatur: hic verò sic. Confirmatur subtiliter ex prædicta leg. Quoties, in quantum dicit, quod acquiritur illi tertio actio, licet stipulatus non sit; sed eo casu, quo esset stipulatus quæreretur irrevocabiliter, adeò ut à donatore nullo modo posset revocari, ut in leg. Perfecta donatio, eodem titulo, de Donat. quæ sub mod. Ergo similiter in nostro casu revocari non possit; cum efficax actio jam quæsitæ sit. Secundò facit textus notabilis in leg. fin. ff. de Pactis. ubi si creditor fecit pactum de non petendo ipsi debitori, ex quo quæritur liberatio fidejussori, non potest debitor illud revocare in præjudicium fidejussoris: Ex quo textu sumitur

notabilis doctrina, & theoretica; quod jus mihi quæsitum ex contractu, vel pacto alicujus non potest mihi auferri: & ad hoc eum notat ibi Salyc. Angel. Paul. Jas. & communiter DD. text. in leg. Si servus, & in leg. Filius pacis-tendo; Cod. de Pactis, & ibi Paul. & communiter DD. ubi dicitur, quod jus mihi quæsitum ex contractu filii, vel servi non potest ab eis mihi auferri: text. in leg. Si partem, versic. final. In fin. ff. Quemad. servit. amit. ubi si testator legavit servitutem, & legatarius antequam agnosceret, vel repudiaret legatum, vendidit fundum dominantem; illi emptori quæritur jus servitutis, quod amplius à legatario auferri non potest repudiatione legati, vel aliàs text. in leg. In insulam. §. fin. ff. Solutio matrim. ubi, si quis dedit dotem mulieri hoc pacto, ut soluto matrimonio dos ad eum revertatur; facto divortio, potest petere dotem adeo quod si postea maritus, & uxor revertantur in matrimonium, non auferatur jus quæsitum dotem repetenti: & ad hoc notat Bald. Angel. Imol. Paul. de Castr. & communiter DD. text. in leg. Cum maritus, §. fin. ff. de Pactis dotal. ubi mulier dedit dotem hoc pacto, ut post mortem suam restituatur fratri, & ille frater stipulatus est; & dicit textus, quod non potest mulier de dote disponere in vita vel morte in præjudicium fratris: quem ad hoc notat ibi Bald. Salic. & communiter DD. & dicit singularem Aret. cons. 24. penult. column. in leg. Certe conditio, §. Nummos, juncta gloss. 1. ordinar. in versic. Vel dic, ff. Si cert. petat. ubi si quis mutuavit nummos nomine alicujus tertii absentis, ei quæritur actionem, quam postea eo invito auferre non poterit: & ad hoc notant & commendant omnes DD. textum notabilem in l. Si post mortem, §. fin. ff. de Bonor. poss. contra tabul. ubi si ex dispositione legis ex persona alicujus competit mihi aliquod jus, non potest me invito mihi auferri: & ad hoc notat ibi Bart. Alberic. & communiter DD. textum singularem in l. Si constante, vers. Exceptis, Cod. de Donat. ante nupt. per quem infert ibi Bald. quod quando ex contractu, vel pacto contrahentium, vel occasione contractus, per dispositionem legalem est alicui tertio jus quæsitum re, vel spe, non potest ab eo recedi in ejus præjudicium: & illum textum ad hoc dicit solemnem Aretin. in consil. 74. penult. col. num.

remque hanc sententiam contra Bart. testatur Suar. in leg. Quoniam. 8. quæst. leg. Regni, pag. 516. Benedic. relatis à gloss. 2. leg. 7. tit. 4. part. 5. verioreque & communio-rem contra Bart. testatur Dueñas regul. 216. quod hodie clarius procedit attenda leg. 2. tit. De los contractos y obligaciones. in fin. lib. 5. Recopilat. qua lege attenda, sic tenendum asserit nobiscum Villalob. in Antimon. juris civilis & Regii. fol. 6. num. 26. lateque eum disputat Aceved. alios referens in leg. 11. tit. 6. lib. 5. numer. 10.

num. 10. Jas. in leg. fin. de Pactis. 2. col. post princ. text. in cap. Si tibi absentis, de Præbendis, lib. 6. ibi, si Episcopus vel superior contulit beneficium alicui absentis, etiam non interveniente nuntio, vel epistola, non potest amplius pœnitere, nec revocare; ibi notat & commendat Glossa ordinaria & communiter DD. Tertio & principaliter, & magis in expresso hodiè in nostro regno facit lex 3. tit. 8. lib. 3. ordinam. qua cavetur, quòd indistinctè potest quis alteri obligari; etiam absentis sine aliqua stipulatione vel solemnitate, dum constet de voluntate obligantis: ergo in nostro casu illi tertio fuit quæsitæ actio & obligatio ex voluntate donantis, & ex ejus pacto vel contractu: & si fuit quæsitæ, ergo revocari non potest. Confirmatur hoc, quia Bald. in leg. Cum à socio. 2. col. in fin. Cod. de Jure dotium, & communis opinio Modernorum in dict. l. Qui Romæ, §. Flavius: de verbor. obligation. dicit, quòd si in proposita quæstione Notarius stipuletur pro ipso tertio, non potest postea per donantem revocari: sed hodiè, attempta illa lege regia quæritur jus vel actio illi tertio, & cuilibet absentis, tanquam si intervenisset stipulatio: ergo revocari non potest.

31 Et tenendo istam partem, quam teneo pro verissima, dico, quòd non obstat primo textus capitalis in quo se fundabat Bartol. & communis opinio in leg. 1. ff. de Servis exportan. Quia dupliciter respondeo, & primo sic: quòd in illa lege aperte requiritur perseverantia in domino alienante servum pacto, vel modo, de quo ibi: unde merito dominus potest illud pactum vel modum revocare; quòd probat ibi textus, dum dicit, si is tamen qui vendidit, in eadem voluntate perseveraret; probat etiam text. in leg. Si pater, vers. Sin autem, ff. de Manumis. vindict. in nostra verò quæstione & casu dictæ leg. Quoties. talis perseverantia non requiritur; ideò revocari non potest. Vel aliter & secundo respondeo, quòd ibi, scilicet in dict. leg. 1. ff. de Servis exportand. pactum vel modus fuit appositus in favorem servi, cui non potuit aliquo modo quæri actio vel obligatio, cum sit omnino incapax; ut in Regul. quod attinet, ff. de Regul. jur. & ex hoc jura disponunt, quòd tali pacto vel modo non revocato, servus efficitur ipso jure liber secundum voluntatem domini, ita dicit text. in leg. 3. de servis export. text. in l. 1. & 2. Cod. Si mancip. ita fuer. alien. ut manumit. text. in l. 3. ff. Qui sine manum. ad libertat. per text. in leg. Si pecuniam, §. Si servus de Condit. ob caus. Sed in nostra quæstione, & sic in casu prædictæ leg. Quoties. ille tertius, in cujus favorem pactum vel modus ponitur, est libera persona, & capax actionis, & obligationis, & ei est quæsitæ

actio & obligatio: Unde, merito in ejus præjudicium revocari non potest. Et si replices: Quomodo potuit hic tertio absentis quæri actio sine acceptatione & consensu, imò, sine eo quòd interveniret nuntius vel epistola? quia alias non potest valere, per textum notabilem juncta communi doctrina leg. Absenti, ff. de Donation. ubi, quando donatio fit absentis, requiritur acceptatio, voluntas, & consensus donatarii: imò, si postquam quis donavit, donatarius sciverit & acceptet, non sufficit, sed requiritur quòd interveniat nuntius vel epistola ad jungendas voluntates: ita tenet ibi Bart. in princ. Alb. Jacob. & Oldr. quos ipse refert. Paul. Imol. Cuman. & cæteri DD. Facit Glossa ordinaria in leg. Consensu. ff. de Action. & oblig. Glos. in leg. 1. §. fin. ff. de Cont. empt. §. In leg. Illud, Cod. de Sacros. Eccles. & ibi notat Albert. Jacob. Bart. & omnes Gloss. in leg. Nec ambigi, Cod. de Donat. & ibi expresse notat Cyn. Bald. & Salyc. Respondeo, quòd ille textus & communis opinio loquitur & procedit, quando donatio incipit à traditione vera vel ficta, & fiebat absentis; nam tunc requiritur acceptatio & consensus modo prædicto, scilicet, interveniente nuntio vel epistola: Nos verò loquimur, quando donatio incipit à promissione vel obligatione. Sed advertendum subtiliter, quòd ista solutio non satisfacit: Quia quando donatio incipit à promissione, vel obligatione, fortiori vel eadem ratione non valet, si fiat absentis; nam de jure antiquo hoc expeditum est, cum requirebatur stipulatio, quæ non poterat fieri inter absentes, etiam mediante nuntio vel epistola, ut in leg. 1. ff. de Verbor. obligation. hodiè verò de jure novo Codicis bene valet per pactum nudum, & per consensum utriusque: Sed tunc, si fieret absentis, requiritur nuntius, vel epistola ad jungendam voluntatem & consensum: ita singulariter tenet & declarat Jacob. Butr. & post eum alii DD. in leg. Illud, Cod. de Sacrosanct. Eccles. Fab. & Ang. in princ. Instit. & obligat. ex consensu, & secundum hoc, in nostro casu & quæstione, modò donatio incipiat à traditione, modò à promissione & obligatione, non potuit quæri actio illi tertio absentis, nisi postquam consensit interveniente nuntio vel epistola: Ergo bene potuit donator revocare. Et ista est nova & subtilis difficultas, quam nemo possuit in hoc articulo. Sed ea non obstante, teneo istam sententiam & conclusionem contra Bart. quam supra fundavi; & prædictæ difficultati respondeo subtiliter, quòd procedit quando principaliter & de per se fit donatio, & non dependet ab alio actu, nec persona, ut si quis donat rem vel aliquam quantitatem absentis; tunc enim non valebat in

ejus

ejus persona quoad dominium, nec quoad obligationem: Secus verò quando donatio fit præsentis, taliter quòd valeat, & in ejus persona habeat vires; quia tunc, si gravetur alteri dare vel restituere, tunc illi tertio quæritur per legem utilis actio, etiam ignorantis, & non interveniente nuntio vel epistola: quia fortificatur ex prima donatione valida, & ab ea recipit fomentum: Et iste est verus, & realis sensus & intellectus illius text. in dict. leg. Quoties, sic alibi non dilucidatus. Unde, illa donatio non potest revocari, quia jam per legem est quæsitum jus. Hodiè tamen de jure regio hoc magis clarè procedit & habet locum per leg. 3. tit. 5. lib. 3. ordinam. modò fiat donatio præsentis, modò absentis, modò fiat de quantitate, modò de aliqua re in specie: modò incipiat à traditione, modò à promissione.

32 Non obstat secundo, quòd in nostro casu & quæstione resultat contractus innominatus, scilicet, do ut des, vel facias, habita relatione ad id quod venit in modo: ergo merito potest revocari; quia habet locum pœnitentia. Quod fundamentum in hoc articulo posuit Joan. de Imol. Alex. & alii DD. in dict. §. Flavius. Quia subtiliter respondeo, quòd in nostro casu & quæstione non resultat aliquis contractus innominatus, imò est contractus nominatus donationis in persona primi, quia revocari non potest: similiter respectu tertii, cui est faciendæ restitutio non est contractus innominatus, imò est donatio, ex qua quæritur ei actio per dict. leg. Quoties. Confirmatur etiam: quia in contractibus innominatis ita demum habet locum pœnitentia, quando nulla est nata actio ei à quo fit revocatio, quia res est omnino integra ex parte utriusque contrahentis: vel quando unus ex contrahentibus implevit ex sua parte, alter verò non, tunc ille, qui implevit potest pœnitere & contractum revocare ex eo, quia contractus censetur debilis, & nulla fuit quæsitæ actio ei cui impletum est: ista est propria & realis dispositio textus in dict. leg. Si pecuniam, ff. de Condit. ob causam. Sed in nostro casu & quæstione non est contractus innominatus, sed verus & nominatus contractus donationis, tam in persona primi donatarii, quam secundi, vel tertii, cui est faciendæ restitutio: Præterea illi secundo vel tertio statim est quæsitæ efficax actio ex illo pacto & modo donationis & restitutionis, per textum in dict. leg. Quoties, ergo revocari non potest, nec habere locum pœnitentia. Vel aliter respondeo, quòd licet in nostro casu & quæstione resultaret contractus innominatus, tamen hodiè de jure

regio non posset revocari, nec habere locum pœnitentia, ut supra dixi: quia hodiè in contractibus innominatis, etiam nullo implem. o securo, oritur actio, & non habet locum pœnitentia per dictam leg. 3. tit. 8. lib. 3. ordin.

33 Et ex his infero singularem & utilem declarationem ad leg. 27. supra his, ll. Tauri; ubi habetur, quòd pater potest per contractum & donationem inter vivos meliorare filium quem velit in tertio bonorum, & in eò apponere substitutiones, vincula, & gravamina quæ voluerit: Nam dico, quòd si pater gravaret tamen filium melioratum restituere prædictum tertium alteri filio, vel descendenti, vel in defectum eorum, alteri personæ, secundum formam & dispositionem prædictæ legis; non posset pater solus, nec concurrente consensu primi filii meliorati postea illud gravamen, vinculum, vel submissionem tollere vel revocare in præjudicium alterius filii, vel descendens, vel tertii in cujus favorem positum est gravamen vel vinculum restitutionis, cum per illam legem jam sit eis jus quæsitum, (q) & in terminis ita tenet & concludit Roderic. Suar. in repetition. leg. Quoniam in prioribus, fol. 97. 8. quest. quam tamen ego declaro isto modo: nam si pater adhuc non tradidit prædictam meliorationem primo filio meliorato, nec scripturam ejus, nec fuit facta ex causa onerosa; tunc bene posset revocari, tam respectu primi, quam alterius qui successivè in tali melioratione nominatus est: nam cum indistinctè sit revocabilis per leg. 17. Taur. sequitur quòd poterit pater revocare respectu utriusque, vel respectu illius tertii successivè nominati; cum nulli eorum sit quæsitum jus perfectè & irrevocabiliter: Si verò dicta melioratio sit tradita primo filio meliorato, vel ejus scriptura, vel fuerit facta ex causa onerosa, vel aliter sit effecta irrevocabilis ex causis & modis contentis in dict. leg. 17. Taur. tunc dico, quòd nullo modo posset revocari respectu primi nec respectu tertii successivè nominati; quia jam à principio fuit perfecta & irrevocabilis. Et si dicas, quòd tantum respectu primi prædicta melioratio est irrevocabilis, quia ei fuit tradita possessio, vel scriptura; vel causa onerosa, vel alia, per quam efficitur irrevocabilis, respicit tantum primum filium melioratum; non verò tertium successivè nominatum: unde videtur, quòd respectu ejus possit revocari. Subtiliter respondeo, quòd ex eo quòd jam melioratio semel est irrevocabilis respectu primi propter aliquam causam de contentis in his ll. Taur. maxime in leg. 17. statim jam est

(q) Vide quæ diximus, ad num. 29. ibi: Et istam sententiam.

quæsitum jus & actio tertio, & aliis successivè nominatis, & quoad omnes censetur irrevocabilis: quia possessio, causa, vel qualitas, per quam efficitur revocabilis, requiritur tantum in primo filio vel descendente meliorato, & non in alio; ergo amplius revocari non possit; argumento textus singularis in leg. *Pater filium*. §. *Quind. cim liberis*. ff. de Legat. 3. ubi habetur, quod res prohibita alienari, nisi aliquo casu permittatur alienari, & veniat casus in quo jam semel sit alienata; perpetuo remanet libera & alienabilis: & ibi notat Bartol. & communiter DD. Facit etiam textus singularis & unicus in leg. final. Cod. de Remiss. pignor. secundum Bald. Salyc. & communiter DD. ubi habetur, quod si res obligata vel hypotheca à debitore semel aliquo casu alienetur, creditore consentiente, perpetuo eximitur ab obligatione, & hypotheca, aded quod, licet postea revertatur ad personam debitores, amplius non reincident in primam generalem obligationem, etiam bonorum futurorum: facit etiam textus in leg. *Videamus*. ff. *Quod metus causa*, textus etiam in leg. *Tutor rerum*. ff. de administr. tutor.

34 Item etiam & secundò ex prædictis infero, quod si quis faciat & constituat majoratum in persona certa & determinata, & post mortem ejus vocavit & substituit alias successivè, & primæ tradidit possessionem ejus, vel scripturam, vel fiat ex causa onerosa juxta formam & dispositionem text. in l. 44. infra his II. Taur. quod si semel fuerit tradita possessio vel scriptura primæ personæ nominatæ, vel concurrat causa onerosa, non potest amplius majoratus revocari, etiam quoad alias personas nominatas vel substitutas, sed perpetuo remanet firmus, validus, & irrevocabilis.

Item etiam & tertio ex prædictis infero, quod licet jura regalia, quæ pertinent Principi in signum supremæ jurisdictionis, non possint præscribi, nisi tempore immemoriali; tamen si semel sunt præscripta ab aliquo magnate, vel domino temporali, perpetuo efficiuntur præscriptibilia tempore ordinario, decem, vel viginti, vel triginta annorum, sicut quælibet alia res privata, vel jurisdictio.

Item etiam & quarto ex prædictis infero, quod si aliqua res patrimonii semel est alienata in hoc Regno per descendentes possessores, & non fuit

(r) Qua probatur posse in tertio & quinto fieri meliorationem; quod ex illa lege expendit Castill. ibi verb. *Para siempre*. Palac. Rub. numer. 7. Tell. num. 2. Gom. Arias, num. 59. Gregor. in leg. 2. tit. 15. part. 2. glossa 1. fin. Menchac. de Succession. creation. §. 26. numer. 95. & 96. Covarrub. lib. 5. Variar. capit. 5. numer. 4. Molin. lib. 1. capit. 1. numer. 25. Matienz. in dict. leg. 11. tit. 6. lib. 5. glossa 11. numer. 1. ubi differentias inter hujusmodi majoratus sine licentia Principis & cum ejus licentia constitutos refert.

per proximiorum consanguineum retracta pro eodem pretio secundum leges hujus regni, non poterit amplius per aliquem retrahi jure sanguinis, sed perpetuo remanet libera & alienabilis.

35 Quintus modus, per quem impeditur alienatio & translatio domini, est quando expressè prohibetur per legem: textus est in leg. *Non dubium*. versic. *Nullum*. Codic. de Legib. cujus verba sunt: *Nullum enim pactum, nullam conventionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsequutum, qui contrahunt lege prohibente*. Textus in leg. 1. & per totum. ff. de Fund. dotal. textus in leg. *Quædam*. ff. de Acquirend. rerum dom. textus in leg. 1. & per totum. ff. de Rebus eorum. textus in leg. 1. & per totum. Cod. de Præd. minor. textus in leg. *Lex qua tutores*. Cod. de administr. tutor. textus in leg. *Alienationis*. ff. *Famil. ercisc.* textus in leg. *Post contractum*, in fin. ff. de Donat. text. in l. 2. & fin. Cod. de Litigiosis. textus in leg. *Commisita*. ff. de Publican. & vectig. textus in leg. fin. Cod. ad legem Jul. majest. text. in leg. *Qui contra*, Cod. de Incest. nupt. textus in leg. *Ex judiciorum*. ff. de Accusat. textus in leg. *Quæsitum*. ff. *Qui & à quibus*. textus in leg. 3. §. *Sciendum*. ff. de Donat. inter vir. & uxor. textus in §. 1. *Institut. quibus alien. licet vel non*, textus in cap. *Cum secundum leges, de Hæred. lib. 6.*

36 Sextus modus, per quem potest impedi alienatio & translatio domini, est in melioratione tertii: nam si pater & mater melioret filium in tertio bonorum suorum in ultima voluntate, vel per contractum inter vivos, potest in eo apponere quodlibet gravamen vel vinculum restitutionis, vel submissionis, atque ita majoratum facere sine licentia Principis, juxta formam, & dispositionem leg. 27. supra legibus Taur. que est hodie lex 11. tit. 6. lib. 5. Recopilat. (r) de quo magistraliter dixi in materia quam possui in leg. 17. supra. eodem.

37 Septimus modus, per quem impeditur alienatio & translatio domini, est per ultimam voluntatem & dispositionem testatoris: nam si testator instituit hæredem in tota hæreditate, vel in aliqua parte, vel legat alicui aliquam rem, potest prohibere alienationem ejus, & talis prohibitio valet & tenet. Quod tamen intelligo & declaro isto modo: nam si prohibitio est simpliciter facta sine causa, vel nulla demonstrata

persona in cujus favorem fiat; ut si testator dicat, *Gravo hæredem vel legatarium ne alienet*; talis prohibitio non valet, sed hæres vel legatarius liberè & justè poterit rem alienare; quia illud est quoddam nudum præceptum testatoris, & resolvitur in consilium, quod non obligat recipientem, sed tantum monet eum, ut in leg. 2. §. final. ff. *Mandat.* textus est capitalis & expressus in leg. *Filiusfamilias*. §. *Divi*. ff. de Legat. 1. & ad hoc notat & commendat Glossa ordinaria, Bartol. Alberic. Paul. Alexand. Jas. & communiter DD. textus in leg. *Cum pater*. §. *Mando*. ff. de Legat. 1. text. in leg. *Pater filium*. §. *Julianus*. Agrippa. ff. de Legat. 3. textus in leg. *Lucius*, eod. tit. textus in leg. *Titio centum*. ff. de Condition. & demonstration. & utrobique communiter DD. Confirmatur, quia in qualibet dispositione semper requiritur causa pro ejus validitate: text. est in leg. *Cum hi*. §. *Vult igitur*, versic. *In causa*. ff. de Transaction. textus in leg. *Si procuratorem*. versic. 1. ff. *Mandat.* text. in leg. *Si pariter*. ff. de Liberal. causa. textus in leg. 2. §. *Circa*. ff. de Doli except. textus in leg. *Properandum*. §. *Illo proculdubio*. Cod. de Judic. textus in leg. *Cum indebito*. §. final. ff. de Probation. (s)

38 Si verò prohibitio est facta cum legitima causa; ut quia testator prohibuit rem alienari, quia fuit majorum suorum, vel habuit eam ab Imperatore, vel Principe, vel erat fortalium vel turris fortissima, quæ erat protectio & defensio cognationis suæ, vel quia hæres vel legatarius, cui relinquebatur, erat minor; vel fuit facta prohibitio favore alicujus certæ personæ, ut quia prohibuit rem alienari, quia voluit rem pervenire alicui de genere, vel alteri personæ, vel ex alia simili & justa causa; tunc talis prohibitio valet & tenet, & non poterit alienari (t) textus est in dict. leg. *Filiusfamilias*. §. *Divi*. ff. de Legat. 1. ibi: *Nisi inveniat persona cujus respectu hoc à testatore dispositum est*, &c. text. in leg. *Cum pater*. §. *Libertis*, de Legat. 2. text. in leg. *Titia Sejo*. §. *Seja libertis*. eod. tit. textus in leg. *Codicillis*. §. *Instituto*. eod. tit. text. in leg.

*Voluptas*. Codic. de Fideicommiss. & idem disponit lex notabilis Partit. 44. tit. 5. 5. Partit. imò, licet causa prohibitionis non exprimat, tacite videtur inesse ex qualitate; ut si fuit res Majorum, vel turris fortissima, (u) & ita probat Glossa singularis & unica in leg. *Quoties*. la 1. Cod. de Fideicommiss. in Gloss. 1. quam ad hoc notat & commendat ibi Bartol. Salycet & non est alibi, secundum Corneum. 2. column. & alios Modernos, ibi: Et ratio vera fundamentalis, per quam in prædictis casibus per ultimam voluntatem potest impedi alienatio, est: quia sicut per ultimam voluntatem transfertur ipso jure dominium, tam in hæreditate universali, additione secuta, quam in legato vel fideicommissio sine aliquo actu traditionis vel apprehensionis, ut in leg. *Cum hæredes*. ff. de Acquirend. possess. & in leg. *Facta*, & in leg. *Restituta*. ff. ad Trebell. & in leg. *Titio*. ff. de Furto. & in leg. *Cum pater*. §. *Surdo*. ff. de Legat. 2. & in leg. *Si tibi homo*. §. *Cum servis*, de Legat. 1. Ita eodem modo per ipsam ultimam voluntatem potest alienatio & dominium impedi, & de uno in alium transferri: ita probat textus in leg. final. Codic. de Legat. ubi testator potest relinquere legatum vel fideicommissum usque ad certum tempus uni, & post illud tempus alteri: textus in *Authent. cui relicto*, versic. final. Codic. de Judic. ut tol. & in expresso istam rationem ponit Petr. de Bellaper. in leg. *Ea leg.* Codic. de Condict. ob. causam. 1. column. in fin. & ibi Cyn. 2. column. in fin. & communiter DD. ibi Albert. in leg. *Si ita quis*. §. *Ea lege*. ff. de Verbor. obligation. 2. column. propè fin. & ibi DD. Innoc. in cap. *Raynald. extra*, de Testam. penult. column. Confirmatur ex illa Gloss. singul. in leg. 1. in gloss. magna in fin. Cod. de Inoffi. donat. ubi ponit notabilem doctrinam, quod in casibus in quibus ipso jure ex aliqua dispositione transfertur dominium sine traditione, in eisdem casibus, resoluta illa dispositione, impeditur dominium, & transfertur in disponentem, vel alium: quam ad hoc summè notat & commendat ibi Bald. in fin. verbis, & communiter DD.

Quod

(s) Sed in Hispanorum primogeniis propter ipsorum nativam perpetuitatem, eo ipso quod quis majoratum constituit, aut constituere proficetur, seu ex conjecturis colligitur, prohibitio alienationis adjecta censetur, domini que translationem impedit, etiamsi nulla alia causa adjiciatur, ut tradit latè Molin. lib. 1. cap. 5. num. 31.

(t) Ut tenet Tell. in leg. 5. Taur. 2. part. num. 10. in princip. Menes. in leg. *Quoties*, num. 10. & 11. Cod. de Fideicommiss. Gutierrez. in leg. *Nemo potest*, num. 22. Aceved. in leg. 11. tit. 6. lib. 5. Recopilat. numer. 10. qui etiam pro casu sufficienti rem majorum suorum apponi posse asserunt, & Bald. ab omnibus receptus in dict. leg. *Quoties*. Codic. de Fideicommiss. num. 1. Gregor. in leg. 44. & tit. 5. part. 5. Matienz. in leg. 6. tit. 7. l. 5. glossa 1. num. 2.

(u) Idem tenet Tiraquell. plures referens de utroque retractu, in præfation. 39. Peralt. in leg. 3. §. *Qui fideicommissa*. num. 30. ff. de Hæred. instit. Molin. lib. 1. cap. 6. num. 31.